427

425

431

421

436

416

476

376

326

Ende

Anfang

terrae sanctae signatis indulgentias (††) plenariae remissionis accepimus cum devotione. In quodam peregrinali libello legi, quod hic locus quondam fuit datus fratribus Ordinis Praedicatorum, qui ibi ecclesiam et claustrum fecerunt, et petram cavantes antra profundiora fecerunt, et ad tempus ibi habitaverunt. Tandem propter infidelium insultus et frequentes depraedationes et invasiones inde emigrare et locum deserere compulsi sunt, et ita ecclesia et officinae et omnia fuerunt in nihilum redacta. Hunc locum post peregrinorum recessum crebrius adii, et horas meas in eo legi, antra eius diligentius lustravi, et nonnumquam videbatur mihi, quod interessem conventui fratrum, et ex corde laetabar. Sed dum me converti ad miserabilem loci desolationem, moestus sedebam. Congruus autem valde erat hic locus pro fratribus Praedicatoribus, et hodie locus aptissimus esset, si caetera essent paria, ut in eo habitarent fratres, propter plures caussas. I. Propter illum eximium praedicatorem, cui ille specus confectus est, h. e. propter sanctum Jacobum Apostolum, qui in actu praedicationis existens et veritatem praedicans de cancellis fuit praecipitatus, et claudus factus. Sed nec sic a praedicatione cessavit, donec de templi pinnaculo projectus obiit, et de Jerusalem huc portatus et sepultus fuit. Quis autem sepulchrum tam constantis praedicatoris Dei possideret, nisi fratres, quorum initium, medium, et finis et nomen est praedicare? Ob hoc in nostri Ordinis initio tradita fuit ecclesia S. Jacobi Parisinis, ubi usque hodie insigniorem conventum habemus trecentorum fratrum et studium magnum, unde in illis locis nominantur fratres praedicatores, fratres S. Jacobi.

II. Quare hic locus fratribus praedicatoribus congruit, est ratione virtutum et constantiae illius Apostoli. Fuit enim virgo perpetuus, et vita totus (**158 A**) apostolicus, et devotissimus, ut patet fol. 106. A., quae omnia congruunt praedicatoribus.

III. Ratio montis Oliveti, qui mons, ut dictum est fol. 151., illustratur luminibus templi Domini et solis et olei et ecclesiarum lampadibus. Sic Ordo Praedicatorum dicitur mons luminum, quia illustratur scientia theologicali, quae a templo Dei procedit, et scientia morali, quae de sole splendet, et

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-2;